ACADEMIÆ ETRUSCÆ
CORTONENSIS ILLUSTRISSIMIS SOCIIS,
PHILIPPUS DE VENUTIS ΧΑΙΡΕΙΝ.

UT primùm Gallias petii, nihil antiquiùs habui, Viri Nobiliſſimi, quàm peregrinationes meas in cenſu litterario ponere, & ſi quid in Eruditorum hominum congreſſu audierim, ſi quid in Naturali Hiſtoria repererim novum, ſi quid è terræ viſceribus erutum Monumentum nanciſcerer, id omne ſtatim vobis, pro eo quo in veſtrum Cœtum feror ſtudio, libens lubenſque obferrem. Quùm vero ex Inſtituto ſuo Societas veſtra, cui nomen me dediſſe ex primoribus gratulor, præcipuè circa Veterum Reliquias verſetur, non Etruſcas tantùm, quarum apud vos maxima æſtimatio eſt, ſed Græcas etiam & Romanas, liceat primùm vos ad hæc ſacra compellare, & de Nummis nonnullis Romanis argenteis dudùm apud Gallos repertis docere.

Anno CIↃ. IↃ. CCXL. quùm Pariſiis verſarer, Vir nobiliſſimus & Amicus meus optimus, de invento Argenteo Theſauro Numiſmatico apud Mediolanum Aulercorum Eburonicum (*Evreux*) in Lugdunenſi Secundâ, me admonuit, illumque perſcrutandi, pro ſua in me Humanitate, copiam fecit. Ad ſeptingenta plus-minùs numiſmata evolui, eaque omnia ad Sequioris ævi Imperatores pertinere perſpexi. Nullum ante Gordianum Pium, nullum poſt Poſtumum inveni. Centum circiter oblata inventori pecunia pro Muſeolo meo ſepoſui. Vix Argento color ineſt, ita poſcente tùm temporis iniquâ Romanis Signis fortunâ. Materiem illam adulterinam Galli vocant *Billon*.

Anno CIↃ. IↃ. CCXLII. Burdegalam, Aquitaniæ Secundæ, ut Paullinus appellat, Metropolim *nitentem*, bonis avibus colens, ad tertium quartumve ab Urbe lapidem Olla reperta eſt argenteis nummis repleta. Eorum numerus ad ſex millia eſſe ferebatur, quorum plerique à Poſſeſſore non-erudito igne fuſorio damnati ſunt. Tortorum manus vix ſeptingenti evaſerunt, & in meas tanquam in tutum Aſylum confugerunt. Quo ardore in contubernium exceperim, qua voluptate ſingulos oculis luſtraverim, non eſt

cur pluribus referam ; nec dicam quo animi ſenſu deperditorum caſum deploraverim, in quibus rariſſima reperiri ad Hiſtoriam Romanam facientia mihi augurabar. Nummi omnes qui extabant, ante Chriſtum natum percuſſi ſunt, paucis exceptis, qui Auguſtum, & Tiberii primordia reſpiciebant. Conſulares vocant Antiquarii, in quibus octoginta, ni fallor, Familias adnotavi. Nullam Gentem inveni, quæ apud Vaillantum aut Morellium deſideretur. Ex iis pauculos mihi ſelegi, qui ad Triumviros, & Auguſtum, Tiberiumque pertinerent. Reliqua ut apud Amicos ex Academia Burdegalenſi ſervarentur curæ fuit ; pauciſſimos Lutetiam tranſmiſi.

Liceat nunc, Collegæ Eruditiſſimi, hæc Antiquitatis ſpolia, quæ in poteſtate mea ſunt, in Ædes Veſtras Sacras inferre, veluti in Jovis Feretrii Templum. Munus exiguum quidem, ad Gazæ veſtræ augmentum deſtinatum, quæ, quùm nudius tertius, ut ità dicam, nata ſit, plus quàm mediocris eſt inter ſexcentas, quibus gloriatur Italia, opulentiſſimas ; ſed neutiquam donum, verumtamen donantis animum hilarem reſpiciatis jubeo. Syllabum horum Nummorum do, accuratamque deſcriptionem, ut uno intuitu quid novi per me ferat in præſens Gallia perſpiciatis. Valete, Viri illuſtriſſimi bono Patriæ & Litterariæ Reipublicæ nati. Dabam ex Bibliothecâ Academiæ Scientiarum quæ Burdegalæ eſt, ante diem III. Eid. Mart. CIↃ. IↃ. CCXLIIII.

Elenchus Argenteorum Nummorum, quos Collegis Etruſcis Cortonenſibus Philippus De Venutis.

L. L. M. D. D. D.

JVLIVS CAESAR.

I. CAESAR. IM PM. *Caput Julii cum laurea. Luna bicornis in Areâ ad collum dextrorsùm.*

L. AEMILIVS BVCA. *Femina ſtans tunicata, dextrâ victoriolam, ſiniſtrâ haſtam puram. Vaillant* qui hunc nummum recitat, Numiſm. Præſtant. tom. 2. pag. 1. ait ; Si caput attendas pro raro habetur. Lunam omittit, & ſcribit IMP. M. rectiùs, ut puto, IMperator Pontifex Maximus. Litteræ PM ſeparantur à reliquis retrò caput.

II. *Caput Julii Cæſaris laureatum ſine Epigraphe.*

MVSSIDIVS LONGVS. *Orbis, Cornucopiæ, Temo, Caduceus, Apex. Vaill.* rarum hunc nummum argenteum eſſe ait.

III. DICT. ITER *ùm* COS. TERT. *caput Cereris ſpicis coronatum.*

AVGVR. PONT. MAX. *Simpullum, Aſpergillum, Capeduncula, Lituus.* Pontificatus & Auguratus inſignia.

IIII. CAESAR. DICT. PERPETVO (ſic) *Caput Julii laureatum*

P. SEPVLLIVS MACER. *Figura muliebris ſtans tunicata* (non ſeminuda ut Vaillanto viſa eſt), *dextra victoriolam, lævâ haſtam, ad pedes ſiniſtrorsùm Clypeus.* Vaill. omiſit Clypeum & nummum quoad Caput rarum putat.

V. *POMPEIVS MAGNVS.*

MAG. PIVS. IMP. ITER. *Caput Gnæi Pompei nudum, arrecta coma in occipite, retrò collum Vrceus, antè Lituus Auguralis.*

Digitized by Google

PRAEF. CLASETORÆ M IT. EX S.C. *Catanenſes Fratres Anapias & Amphinomus parentes humeris ſublatos ferentes. In medio Neptunus nudus, retrò pallium, dextro pede Navis Roſtro incumbens, dextra Apluſtre, læva lateri impoſitâ.*

VI. MAGNVS PIVS IMP. ITER. *Columna Coloſſea, ſupra quam Neptuni Statua dextro pede Roſtrum Navis calcans, dextrâ Delphinum, lævâ Tridentem. Ad latus columnæ ſiniſtrum Acroſtolium cum haſta lemniſcata, ad dextrum Aquila Legionaris.*

PRÆF. CLASETORÆ M IT. EX. S. C. *Scylla monſtrum in duplicem intortam caudam Delphini deſinens, nuda ad umbilicum, ad parentibus pone caudas Anchoræ uncinis, ambabus manibus Temonem ſtringit poſt tergum poſitum, quaſi eo colliſura trium Canum capita, qui ex ejus iliis innaſci videntur, poſteriori tantùm parte detenti.*

M. LEPIDVS TRIVMVIR.

VII. LEPIDVS. PON. MX. III. VIR. R. P. C. *Caput M. Lepidi nudum.* Vaillantus addidit prænomen Marci, quod in nummo non eſt.

CAESAR. IMM. III VIR. R. P. CC. *Caput Auguſti nudum.* Nummus antiquus argenteus cum aereo meditullio adulteratus. Hinc plura litterarum ſphalmata. Rarus quidem eſt.

VII. LEPIDVS. PON. MX. III. VIR. R. P. C. *Caput Lepidi nudum.*

CAESAR. IMP. III. VIR. R. P. C. *Caput Auguſti.* nummus ex argento puro rarus teſte *Vaillanto.*

M. ANTONIVS TRIVMVIR.

VIII. M. ANT. IM. A G. IIIVIR. R.P.C. M. BARBAT. Q. P. *Caput Antonii nudum.*

CAESAR. IMP. PoNT. III. VIR. R. P. C. *Caput Auguſti nudum.* Litteræ Q. P. interpretantur *Quæſtor Provinciæ.*

IX. *Caput M. Antonii nudum, à tergo Lituus*, ſine Epigraphe.

M. ANTONIVS. III. VIR. R. P. C. *Caput Solis radiatum & intonſum.* Nummus non obvius eſt.

X. M. ANTONIVS.... AVGVR. IM. TER. *Vir togatus & velatus ſtans, dextra Lituum Auguralem tenet.*

III. VIR. R. P. C.... ITER. ET. TERT. *Caput Solis radiato diademate cinctum, intonſis crinibus.* Nummus rarus eſt.

XI. M. ANTONI IM. *Caput Antonii nudum.*

III. VIR. R. P. C. *Templum Diſtylon faſtigiatum, cujus in medio Solis Imago radiis & nimbo circumdata.* Nummus non obvius eſt Vaill.

XII. ANTON. AVG. IMP. III. VIR. R. P. C. *Caput ſolito majus M. Antonii nudum.*

In Areâ poſticæ ANTONIVS. AVG. IMP. III. Nummus rarus eſt.

XIII. ANTONI. ARMENIA. DEVICTA. *Caput M. Antonii nudum. In Areâ retrò collum Thyara Armeniaca.*

REGINAE REGVM. FILIORVM. REGVM. CLEOPATRAE. *Caput Cleopatræ Diademate Regio cinctum.* Nummus rarior eſt Vaillanto.

XIIII. M. ANT. IM. A G. III. VIR. R. P. C. M. NERVA. PROQ. P. *Caput nudum M. Antonii.*

L. ANTONIVS COS. *Caput L. Antonii Fratris M. Antonii*

274.2

Digitized by Google

nudum. Nummus inter rariores habetur *Vaill.* lege *Proquæſtor Provinciæ.*

AVGVSTVS.

XV. CAESAR AVGVSTVS. *Caput Auguſti nudum.*

C. ANTISTIVS REGINVS. III. VIR. *Tripos*, *Patera*, *Capeduncula*, *Lituus*. Nummus hic rarus eſt *Vaillanto.*

XVI. AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput Auguſti nudum.*

Apollo muliebri ornatu ſtans tunicatus & cum pallio ad humeros, ſiniſtrâ Lyram, dextrâ Plectrum. In areâ IMP. X. In exergo ACTio.

XVII. *Quadrigæ Triumphales; in Curru Victoriæ & Tropea inſcalpta. Imperator auriga, dextra lauream gerit. In Exergo* IMP. CAESAR.

Sine Epigraphe. *Victoria alata*, *tunicata*, *& ſuccinta*, *Proræ Navis inſiſtens*, *ſiniſtrâ Palmam tranſverſam*, *dextrâ Coronam Roſtratam.* Nummus non obvius, *Vaill.*

XVIII. C. CAESAR. IMP. *Caput Auguſti nudum.*

Sine Epigraphe. *Imperator Eques. In exergo* S. C. Nummus rarior eſt.

XIX. Sine Epigraphe. *Caput Auguſti nudum.*

Columna Roſtrata, *ſupra quam Imperator ſtans nudus*, *retrò chlamys, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ parazonium. In Area* IMP. CAESAR. Nummus rarus eſt, *Vaill.*

XX. IMP. CAESAR. DIVI. IVLI. F. *Caput Auguſti nudum.*

In Area M. AGRIPPA. COS. DESIG. Nummus inter rariores recenſetur à *Vaillanto.*

XXI. *Quadrigæ Triumphales ſine Rectore*, *in quarum tabalatu Amor inſcalptus & Figura ſtans; in ſummo apice anteriori quatuor equi pariles ſubſultantes: Appenſæ habenæ ſunt quatuor equorum currum trahentium. In Areâ* CAESAR. *In Exergo* AVGVSTVS.

Toga picta, *ad dexteram Scipio Conſularis cum Aquila Romana*, *ad lævam Laurea cum vittis. In Area ſuperiori & inferiori* S.P.Q.R. PAR*enti* CON*ſervatori* SVO. an iſthæc Inſignia faciunt ut legatur Conſuli Suo? Nummus non obvius.

XXII. CAESARI. AVGVSTO. EX. S. C. *Ara ornatior cum Parergis*, *in quibus binæ caſſides haſtis impoſitæ; in Areæ meditullio*, FOR*tunæ* RE*duci.*

Q. RVSTIVS. FORTVNAE. *In Exergo* ANTIAT*es. Duo Figuræ muliebres*, *quarum quæ à dextris Sortium Vrnam tenet.*

XXIII. CAESAR AVGVSTVS IMP. PATER PATRIAE. *Caput Auguſti laureatum.*

TI. CAESAR... TR. POT. XV. *Caput Tiberii Cæſaris nudum.* Nummus rarus habetur *Vaill.*

CLAVDIVS.

XXIIII. CLAVD. CAES. AVG. P. M. TR. P. II. IMP. III. *Caput Claudii laureatum.*

VICTORIA AVGVSTA. *Victoria ſtans tunicata*, *læva caduceum terram versùs*, *ante pedes ſerpens erectus gradiens.* Nummus in Italia rarus. Ad Burdegalenſes non pertinet.

XXV.

Digitized by Google

AELIVS CAESAR.

XXV. L. AELIVS CAESAR. *Aelii caput nudum.*
TR. TOT. COS. II. *Mulier ſtans ſtolata & velata ante Aram accenſam, dextram elevat in modum precantis, ſiniſtrâ Acerram tenet. In Area* PIETAS. Nummus admirandæ eſt integritatis. Ad Burdegalenſes non pertinet.

GETA.

XXVI. P. SEPT. GETA. PIVS. AVG. BRIT. *Caput Getæ laureatum.*
LIBERALITAS AVG. *Mulier ſtans, dextrâ Teſſeram Frumentariam, lævâ Cornucopiam.* Nummus non ex Burdegalenſibus.

MACRINVS.

XXVII. IMP CMOPEL SEV MACRINVS AVG. *Caput Macrini laureatum.*
PONTIF MAX TR P COS PP. *Mulier tunicata & ſtolata, utraque manu Signa Militaria.* Nummus non ex Burdegal.

GORDIANVS PIVS.

XXVIII. IMP. GORDIANVS PIVS FELIX AVG. *Gordiani Junioris Caput Corona radiata cinctum.*
MARS PROPVG*nator. Mars Gradivus, dextrâ haſtam tranſverſam, ſiniſtrâ Clypeum rotundiforme.* Incipiunt Nummi Eburonicenſes.

XXIX. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
SAECVLI FELICITAS. *Imp. ſtans, laureatus, & loricatus, cum chlamyde, dextrâ haſtam tranſverſam, ſiniſtrâ Globum.*

XXX. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
VIRTVTI AVGVSTI. *Hercules nudus ſtans, ſiniſtram poſt latus, dextrâ Clavæ, cui Leonis Exuviæ impoſitæ, innixus.*

XXXI. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
MARTI PACIFERO. *Mars Galeatus & Loricatus gradiens, dextrâ Oleæ ramum protendit, lævâ Spiculum & Clypeum.*

XXXII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
LAETITIA AVGN*oſtri. Mulier ſtolata ſtans, dexterâ Coronam, lævâ Falcem meſſoriam.*

XXXIII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
SECVRIT. PERP*etua. Mulier ſtolata ſtans, ſiniſtro pede baſi innixa, dextra haſtam puram, lævâ ad genu.*

Eadem Epigraphe, Idem Caput.
AETERNITATI AVG. *Sol ſtans nudus Capite radiato, dextram elevat, lævâ Globum.*

XXXIIII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
IOVI STATORI. *Jupiter nudus ſtans, dextrâ haſtam puram, ſiniſtrâ Fulmen intortum.*

XXXV. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
FELICIT. TEMP*orum. Dea ſtolata ſtans, dextrâ Caduceum oblongum, lævâ Cornucopiæ.*

18

Digitized by Google

XXXVI. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
FORTVNA REDVX. *Dea ſedens in ſella ſtolata, dextrâ Gubernaculum, lævâ Cornucopiæ.*

XXXVII. IMP. CAES MANT·GORDIANVS AVG. *Caput Imp. radiatum.*
IOVI CONSERVATORI. *Jupiter nudus ſtans, Pallio ad humeros, dextrâ Fulmen, lævâ haſtam puram; ad dexteram Imperator togatus, minori formâ, ſub ejus umbrâ.*

XXXVIII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
LIBERALITAS AVG *Noſtri. Mulier ſtans ſtolata, dextrâ Teſſeram Frumentariam, lævâ duplicem Cornucopiæ.*

XXXIX. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
VIRTVS AVG. *Imper. ſtans Loricatus, Galeatus, & Chlamydatus, dextrâ Clypeum humi nixum, lævâ haſtam cuſpide inversâ.*

XL. IMP. CAES GORDIANVS PIVS AVG. *Imp. Caput radiatum.*
AEQVITAS AVG. *Mulier ſtolata ſtans, dextrâ bilances, ſiniſtrâ Cornucopiæ.*

XLI. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
P. M TR P II COS PP. *Imp. ſtans togatus, Capite nudo, ante Aram accenſam, dextrâ Pateram, lævâ Sceptrum.*

PHILIPPVS PATER.

XLII. IMP. M. IVL. PHILIPPVS AVG. *Caput Philippi radiatum.*
VICTORIA AVGG. *Victoria ſtans ſtolata, dextrâ Coronam, lævâ Palmam.*

XLIII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
LIBERALITAS AVGG II. *Femina ſtans ſtolata, dextrâ Teſſeram, ſiniſtrâ Cornucopiæ.*

XLIIII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
ROMAE AETERNAE. *Roma ſedens ſtolata & Galeata, dextrâ Victoriolam, ſiniſtrâ haſtam, ad pedes Clypeus.*

XLV. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
PACI AVGG. N. *Femina tunicata ſtans, dextrâ ramum protendit, ſiniſtrâ Globum, & Sceptrum tranſverſum.*

XLVI. IMP. PHILIPPVS AVG. *Caput radiatum.*
SAECVLARES AVGG. *Ara ſeu Cippus, in cujus medio* COS. III.

XLVII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
SAECVLARES AVGG. *Leo gradiens, infrâ* I.

XLVIII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
AETERNITAS AVGG. *Elephas, ſupra quem inſidet Figura, dextrâ Ferulam.* Nummus rarus eſt D. *Vaillanto.*

XLIX. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
FIDES EXERCITVS. *Quatuor Signa Militaria ſolo defixa.*

L. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
SAECVLARES AVGG. *Columella, in qua inſcriptum* COS. III.

Digitized by Google

LI. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
SAECVLARES AVGG. *Capra Africana, infrà* O I.

LII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
ANNONA AVGG. *Mulier ſtans ſtolata, dextrâ Spicas, ſiniſtrâ Cornucopiæ, Prora Navis ad pedes.*

PHILIPPVS FILIVS.

LIII. M. IVL. PHILIPPVS CAES. *Caput Philippi Junioris radiatum.*
IOVI CONSERVAT. *Jupiter nudus ſtans, retrò Pallium, dextrâ Fulmen, ſiniſtrâ haſtam puram.*

LIIII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
PRINCIPI IVVENT. *Cæſar ſtans Loricatus & Chlamydatus, dextrâ Globum, ſiniſtrâ haſtam.*

LV. IMP. PHILIPPVS AVG. *Caput Philippi Junioris radiatum.*
LIBERALITAS AVGG. III. *Imperatores ponè ſedentes togati in ſellâ Curuli, qui à lævâ eſt Septrum ſiniſtrâ tenet.*

OTACILIA PHILIPPI PATRIS UXOR.

LVI. MARCIA OTACIL. SEVERA AVG. *Caput Otaciliæ, ad humeros Luna bicornis.*
PVDICITIA AVG. *Dea ſedens in ſella ſtolata, dextrâ velum faciei obducit, lævâ Sceptrum tranſverſum.*

LVII. OTACIL. SEVERA AVG. *Caput ut ſuprà.*
PIETAS AVG. *Dea ſtans velata & ſtolata, dextram elevat, ſiniſtrâ Arcam Thurariam.*

LVIII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
SAECVLARES AVGG. *Hippopotamus gradiens. In Exergo* IIII.

TRAJANVS DECIVS.

LIX. IMP C M Q TRAIANVS DECIVS AVG. *Cæſar Meſſius Quintus, &c. Caput Decii radiatum.*
DACIA. *Mulier ſtans tunicata & palliata, dextrâ baculum, cui Caput Aſininum impoſitum*

LX. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
ADVENTVS AVG. *Imp. Eques, dextrâ elatâ pacificatoris habitu, ſiniſtrâ haſtam inverſam.* Nummus non obvius. *Vaill.*

LXI. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
PANNONIAE. *Duæ Feminæ ſtantes ſtolatæ & velatæ, utrâque Signum Militare.*

LXII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
GENIVS EXERCITVS ILLVRICIANI. *Vir ſtans nudus, dextrâ Pateram, ſiniſtrâ Cornucopiæ, ponè Signum Legionare humi infixum.* Nummus non obvius *Vaill.*

ETRVSCILLA.

LXIII. HERETRVSCILLA AVG. *Caput Etruſcillæ in Luna bicorni.*
FECVNDITAS AVGG. (ſic) *Mulier ſtans ſtolata, dexteram porrigit Puerulo ad pedes ſtanti & manus levanti, ſiniſtrâ Cornucopiam. Habes hìc litteram* u *quadratâ figurâ.*

Digitized by Google

LXIIII. Eadem Epigraphe, idem Caput.
PVDICITIA AVG. *Dea ſedens ſtolata, velum faciei obducit, ſiniſtrâ Sceptrum tranſverſum.*

LXV. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
PVDICITIA AVG. *Dea ſtans ut ſuprà.*

HOSTILIANVS.

LXVI. CVALEIVS (ſic) HOSTIL MES QVINTVS N.C. *Caius Valerius Hoſtilianus Meſſius Quintus Nobiliſſimus Cæſar. Caput Hoſtiliani radiatum.*
MARTI PROPVGNATORI. *Mars Gradivus, Galeatus, Chlamydatus, Loricatus, & Ocreatus, dextrâ haſtam in occurſu, lævâ Clypeum.* Nummus rarus eſt *Vaillanto* teſte. Ex iis quos veſtitos vocant.

TREBONIANVS GALLVS.

LXVII. IMP CAE C VIBTREB GALLVS AVG. *Caput Treboniani radiatum.*
APOLL SALVTARI. *Apollo nudus ſtans, crinibus in nodum intortis, dextrâ ramuſculum, ſiniſtrâ Lyram ſolo innixam.*

LXVIII. IMP C C VIBTREB GALLVS AVG. *Caput ut ſuprà.*
PAX AETERNA. *Dea ſtans ſtolata, dextrâ ramum prætendit, ſiniſtrâ Sceptrum tranſverſum.*

LXIX. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
PIETAS AVGG. *Dea ſtolata ſtans elevatis Palmis ante Aram accenſam pro pedibus.*

LXX. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
FELICITAS PVBLICA. *Dea ſtans ſtolata Columellæ ſiniſtro cubitu incumbens, dextrâ Caduceum, ſiniſtrâ Sceptrum tranſverſum.*

LXXI. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
LIBERTAS AVGG. *Dea ſtans ſtolata Columellæ innixa, dextrâ Pileum, ſiniſtrâ Sceptrum tranſverſum.*

VOLVSIANVS.

LXXII. IMP CAE C VIB VOLVSIANO AVG. *Imp. Cæſ. Caio Vibio, &c. Caput Imp. radiatum.*
PIETAS AVGG. *Mulier ſtans ſtolata & velata, manibus expanſis ante Aram accenſam.*

LXXIII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
P. M TR P IIII COS II. *Imp. togatus ſtans, dextrâ Ramum, levâ Sceptrum.*

LXXIIII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
CONCORDIA AVGG. *Mulier ſtolata ſedens, dextrâ Pateram, ſiniſtrâ duplicem Cornucopiæ.*

LXXV. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
CONCORDIA AVGG. *Mulier ſtans ut ſuprà.*

LXXVI. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
AEQVITAS AVGG. *Mulier ſtolata ſtans, dextrâ bilances, lævâ Cornucopiæ.*

LXXVII.

Digitized by Google

VALERIANVS PATER.

LXXVII. IMP. C P LIC VALERIANVS AVG. *Caput Valeriani radiatum, cum Chlamyde ad pectus.*
VICTORIA AVGG. *Victoria ſtolata ſtans, dextrâ Coronam, lævâ Palmam.*

LXXVIII. IMP VALERIANVS P AVG. *Caput ut ſuprà.*
VIRTVS AVGG. *Roma ſtans Galeata tunicâ ſuccintâ, dextrâ Victoriolam, ſiniſtrâ haſtam, ad pedes Clypeus.*

LXXIX. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
PAX AVGG. *Mulier ſtolata ſtans, dextrâ Oleæ Ramum, ſiniſtrâ Sceptrum tranſverſum.*

VALERIANVS JVNIOR.

LXXX. VALERIANVS P F AVG. *Caput juvenile radiatum.*
ORIENS AVGG. *Sol nudus gradiens, Capite radiato, dextrâ elatâ, ſiniſtrâ Pallio involutâ, quâ Flagellum tenet.*

LXXXI. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
VIRTVS AVGG. *Vir ſtans Galeatus cum Lorica & Chlamyde, dextrâ Victoriolam, ſiniſtrâ haſtam.*

LXXXII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.
IOVI CRESCENTI. *Puer nudus Capræ inſidens, dextrâ neſcio quid, lævâ Capræ cornu apprehendens.* Nummum *Vaillant* inter rariores enumerat.

MARINIANA.

LXXXIII. DIVAE MARINIANAE. *Caput Marinianæ velatum in Luna creſcente.*
CONSECRATIO. *Pavo ferens Marinianæ Animam in Cælum.* Nummus pro raro haberi in Italia ait *Vaill.*

GALLIENVS.

LXXXIIII. GALLIENVS P. F. AVG. *Caput Gallieni radiatum.*
DEO MARTI. *Templum Tetraſtylum, in cujus medio Mars ſtans Galeatus & nudus, dextrâ Clypeum, lævâ haſtam inverſam.* Nummus *Vaillanto* rarus eſt.

LXXXV. Eadem Epigraphe. *Caput Gallieni radiatum, Loricâ ad pectus, dextrâ haſtam tranſverſam, lævâ Clypeum.*
GERMANICVS MAX. *Trophæum, ad cujus truncum duo Captivi nudi ſedentes manibus revinctis.*

LXXXVI. GALLIENVS AVG. *Caput Imp. radiatum.*
DIANAE CONS. AVG. *Cervus.* Nummus rarus *Vaill.*

Eadem Epigraphe, Idem Caput.
IOVI CONS AVG. *Capra.* Num. *Vaill.* rarus.

SALONINA.

LXXXVII. SALONINA AVG. *Caput Saloninæ in Luna creſcente.*
AVG IN PACE. *Figura Muliebris ſtolata ſedens in ſella, dextrâ Ramum, lævâ Sceptrum tranſverſum; In*

C

Exergo M S. Hæ Notæ apud *Vaill.* deſiderantur, qui hunc Nummum inter raros & elegantes recenſet.

LXXXVIII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.

IVNO REGINA. *Dea ſtans, dextrâ Pateram, levâ haſtam puram.*

POSTVMVS.

LXXXIX. IMP. C. POSTVMVS P F AVG. *Caput Poſtumi radiatum.*

IOVI PROPVGNATORI. *Jupiter nudus, retrò Chlamys, dextrâ Fulmen jaculans, læva extenſâ.*

XC. Eadem Epigraphe, Idem Caput.

PROVIDENTIA AVG. *Dea ſtans ſtolata, dextrâ Globum, lævâ Sceptrum tranſverſum.*

XCI. Eadem Epigraphe, Idem Caput.

VICTORIA AVG. *Victoria ſtans, dextrâ Coronam, ſiniſtrâ Palmam, dextro pede Captivum nudum ſedentem calcat.*

XCII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.

HERC. DEVSONIENSI. *Hercules nudus ſtans, Capite coronato, dextrâ Clavæ incumbit, lævâ Arcum, brachio Leoninis exuviis advoluto.*

XCIII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.

PAX AVG. *Deâ tunicâ ſuccinta gradiens, dextrâ protendit Ramum, lævâ haſtam puram.*

XCIIII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.

LAETITIA AVG. *Navis Oneraria ſine velis ad fruges convehundas.*

XCV. Eadem Epigraphe, Idem Caput.

MONETA AVG. *Dea ſtolata ſtans, dextrâ Bilances, lævâ Cornucopiæ.*

XCVI. Eadem Epigraphe, Idem Caput.

P M TR P IIII COS III PP. *Mars Gradivus Galeatus, dextrâ haſtam tranſverſam, lævâ Scipionem humero ſiniſtro impoſitum, in cujus apice Tropæum.*

XCVII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.

FIDES MILITVM. *Mulier ſtans ſtolata, utrâque manu Signa Militaria.*

XCVIII. Eadem Epigraphe, Idem Caput.

P. M. TR P COS III. PP. *Imp. ſtans, dextrâ Globum, lævâ haſtam.*

XCIX. Eadem Epigraphe, Idem Caput.

NEPTVNO REDVCI. *Neptunus ſtans nudus, dextrâ Delphinum, lævâ Tridentem.*

C. Eadem Epigraphe, Idem Caput.

SALVS AVG. *Æſculapius ſtans cum Pallio, dextrâ Scipionem, cui Serpens intortus.*

Digitized by Google

Agmen claudat Nummus Argenteus admirandæ pulchritudinis Maſſiliæ Civitatis Phocenſium Coloniæ, à qua Galli uſum Vitæ Cultioris, depoſitâ & manſucfactâ Barbarie, ut ait *Juſtinus*, & Agrorum cultus & Urbes Mœnibus cingere didicerunt.

MA A , uti legit Auguſtinus, Λ *in Areâ*, *in Exergo ΑΗΧ.* Epocha eſt. *Leo gradiens.*

℞ *Caput Dianæ Diadematum cum inauribus, ad collum Stroppus, ad humeros Arcus & Pharetra; in Areâ Sigla*

Ad hunc Nummum hæc rettulit Cl. *Harduinus* in Opere de Numm. Populor. & Urb. illuſtrat: *Alter ex Argento, in quo Leo gradiens, & Dianæ Caput cum Arcu & Pharetra. Sunt & in quibus Apollo inſculptus. Strabo, lib.* IV. *pag.* 179. Maſſilia à Phocæenſibus condita eſt ...... In Arce eſt Epheſium, & Apollinis Delphinii fanum. Hoc quidem omnium Ionum commune eſt: Epheſium autem, fanum eſt Dianæ Epheſiæ, &c. *Leo vero cur Nummis iis impreſſus ſit, cauſa hæc fuerit fortaſſis, quod Phocenſes Græciæ Populi (à quibus duxiſſe Maſſaliotas Originem Lucanus arbitratus eſt, ac Plinius ipſe fortaſſis, cum ait lib.* III. *Sect.* V. Maſſilia Græcorum Phocenſium, *quanquam nos ibi* Phocæenſium *legi, Strabonem & alios ſecuti, maluimus) quod Phocenſes, inquam, Delphico Apollini Leonem Æneum miſerunt, eique Leoni proximus, eſt Apollo appoſitus à Maſſilienſibus, tanquam à Phocenſium fœderatis & colonis, ex Decumis de Carthaginienſibus Navali Prælio ſuperatis. Auctor Pauſanias in Phocicis, pag.* 334.

Hæc interpretatio non planè ſatisfacit. Miror nullam de Epocha Harduinum feciſſe mentionem. De illa & ego ſilebo, ut quæ longiorem requireret indaginem.

SS 833468

Digitized by Google

Digitized by Google

274 - 2

Digitized by Google